

tum differant Civis & subditus, notandum est: civis nomen latius esse appellatione subditi. Illud enim omnibus seu imperantibus, seu parentibus: Contra subditi nomen parentibus, quæ talibus, propriè competit. Itaque civis Reip. ut pars toti, subditus non tam Reip. quam imperantibus tanquam pars parti opponitur. Indeque patet, objectum Majestatis esse cives & subditos, suæ tamen ditionis. Nam Princeps alterius subditis leges dicere, eosve mandatorum molestiis onerare non potest.

XVI. Debet autem hæc potestas in cives & subditos propriâ, non vicariâ autoritate exerceri. Hinc rejicimus Regentes in Gallia, qui vel ob infantiam, vel furorem, vel absentiam Regis aliquando solent creari. Nam quamquam Rege legitimo vel nondum ex æthebis egresso, vel non præsentem, vel insanientem, omnia jussa, rescripta, edicta, legesque subscriptione nominis sui, manu & sigillo sanciant, tenentur tamen, Regi sceptrum capessenti rationem reddere, & regalia hæcenus usurpata possessori legitimo tradere. Quod *Bodinus* optimè edocet, *libr. 1. de Repub. c. 8. p. m. 81.* Quare adjeci in definitione epitheton *propria*, ut Majestas nostra à vicariâ hujusmodi potestate discernatur.

XVII. Atque hæc Majestas propriè sumpta acquiritur vel mediis ordinariis, vel extraordinariis. Media ordinaria sunt electio & successio. Electio est ordinarius Imperium demandandi modus, per quem Magistratus à subditis ritè & rectè constituitur. Exemplis quid opus est, cum ipse Augustissimus Imperator Romanus his gradibus ad tantum fastigium honoris ascendat?

XIIX. Successio est modus ordinarius obtinendi regimen, per quem prædecessori vitâ functo &c. succedit hæres proximus, sive testamentarius ille sit, sive legitimus. Termini sunt noti, & exempla utriusque successionis omni ævo passim inveniuntur.

XIX. Media extraordinaria Majestatem accipiendi sunt,
1.) Divina constitutio. Sic *Exodi 3.* DEUS demandavit Ducatum seu Principatum Israëliticum Mofi. Sic Saulem, *1. Reg. 10.* & Davidem, *1. Reg. 16.* DEUS ipse constituit. 2.) Dantur media extraordinaria ex humano arbitrio adhibenda, cum vel ex donatione, vel legitimæ emptionis, vel pactorum jure, Gentilitiorum Imperium ac-
qvi-